

Utrum stante data Dei lege sine infusa caritate Deum super omnia quis valeat diligere. Er arguitur quod non. Quia aliquem Deum super omnia diligere implicat con- (40va) traditionem. Igitur questio falsa, consequentia nota. Probatur antecedens, quia ad hoc sequitur quod Deum diligit super omnia et quod Deum non diligit super omnia. Probatio consequentie, quia arguo sic: iste diligit Deum super omnia, igitur diligit Deum super omnia. Consequentia optima, quia oppositum consequentis repugnat antecedenti. Ex illa parte arguo sic: iste diligit Deum super omnia, igitur diligit Deum supra Deum. Consequentia patet, quia Deus est de numero omnium et tunc sic. Diligit Deum supra Deum, igitur aliquid diligit supra Deum. Igitur non diligit Deum super omnia, sicut sequitur iste diligit Iohannem supra Petrum, igitur diligit aliud supra Petrum, igitur non diligit Petrum super omnia.

Ad oppositum arguo sic. Sicut caritate stante Dei lege aliquis potest cognoscere Deum esse summe dilligibile, igitur questio vera. Consequentia nota, quia omne presentatum voluntati sub ratione boni potest voluntas diligere et sub ratione maioris boni magis diligere, igitur et summi boni summe dligere et antecedens apparet nam et demones carentes caritate cognoscunt Deum esse summum bonum et summe diligibile.

Respondeo: pro solutione questionis pono tres conclusiones. Prima conclusio est quod stante data Dei lege quis sine ifusa caritate Deum super omnia valet diligere probatur tripliciter. Primo sic pono quod sit aliquam mulier simplex et illiterata que sit a habeat caritatem in certo gradu que sit b. Item sit aliquis magnus philosophus et magister in theologia et sit c sit scientia sua d quam habet de Deo.

Modo certum est quod b movet a ad diligendum Deum et hoc in certo gradu, quia virtus b est virtus finita similiter d movet et inclinatur c ad diligendum Deum in certo gradu eadem ratione sit igitur quod b inclinatur a ad diligendum Deum in proportione quadrupla plus quam d inclinatur c supposito etiam quod maior notitia rei cognite si res sit optima magis inclinatur c per voluntatem ad illam rem diligendam.

Tunc arguo sic: Aliquis philosophus vel magister potest magis cognoscere Deum esset sine infusa gratia quam faciat c per d in duplo et alius in triplo et alius in quatuorlo et sic sine fine, igitur et aliquis per scientiam et notitiam quam habet de Deo potest inclinari ad diligendum Deum plus quam inclinatur c per d in duplo, in triplo, in quatuorlo et sine statu igitur et plus quam a inclinatur per b. Patet ista consequentia, quia a inclinatur per b solum in proportione quadrupla (40vb) plusquam c per d et aliquis potest inclinari per scientiam suam ad diligendum Deum plusquam c per d in quadruplo, octuplo et in decuplo igitur et aliquis potest inclinari per scientiam suam sine caritate plus ad diligendum Deum quam aliquis per caritatem sine scientia sed quilibet per caritatem suam sine scientia potest Deum diligere super omnia igitur et aliquis per scientiam suam sine caritate. Patet ista consequentia, quia quanto magis aliqua voluntas inclinatur ad aliquid tanto magis faciliter illud potest agere igitur et aliquis sine caritate potest Deum super omnia diligere.

Secundo sic: voluntas sine caritate potest aliquid super omnia diligere et non necessario inordinate, quia tunc cogere ad peccandum, igitur et sine caritate potest aliquid super omnia ordinate diligere, sed nihil ordinare potest super omnia diligere nisi Deum, quia summa perversitas est frui utendis ut ait Augustinus, igitur et sine caritate potest Deum super omnia diligere.

Tertio sic: aliquis sine caritate potest se ipsum et omnia despiciere pro fide Dei et se ipsum morti tradere, igitur et Deum super omnia diligere. Consequentia, patet quia illud cuius

esse preeligitur magis diligitur, et antecedens patet, quia etiam saraceni pro lege falsissima quam habent se morti exponunt, qui tamen semper sunt in peccato mortali existentes igitur multo fortius hoc potest facere christianus pro fide verissima Dei quam habet. Quod etiam patet ex casu Magistri libro 4, distinctione 15, ubi dicit quod si aliquis in aliquo constitutus scismate ne Christum neget patitur ignem bestias etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: stante Dei lege quis sine caritate potest Deum diligere super omnia, igitur et proximum propter Deum. Patet ista consequentia, quia facilius homo potest diligere proximum quam Deum iuxta illud 1 Ephesios 4, qui proximum quem videt non diligit Deum quem non videt quomodo potest diligere. Tunc sic: sine caritate quis potest Deum super omnia diligere et proximum propter Deum, igitur et totam legem observare. Patet consequentia, quia in hiis duobus mandatis tota lex pendet et prophete, ut habetur Mathaei, 22.

Tunc sic: Quis sine caritate potest totam legem implere, igitur et vitam eternam mereri consequens est erroneum et patet consequentia per verba Christi legisperito de preceptis legis dicentis hoc fac et vives, Luce, 10.

Secundo sic: quilibet secundum legem Dei datam vel est in gratia, vel in peccato mortali, igitur quilibet qui (41ra) diligit Deum super omnia, vel est in gratia, vel in peccato mortali. Sed nullus in peccato potest Deum diligere super omnia secundum legem Dei datam. Igitur probatio istius, quia diligere Deum super omnia est frui Deo, sed frui Deo est recte et iuste agere nec potest talis operatio esse iniusta, sed nulla rationalis creatura potest recte et iuste agere sine iusticia et rectitudine. Igitur non potest Deo frui sine iusticia. Sed nullus iustificatur secundum datam legem sine gratia. Igitur de primo ad ultimum sequitur quod nullus potest Deum diligere super omnia sine gratia secundum legem datam.

Tertio sic: viator sine gratia secundum legem Dei datam potest Deum super omnia diligere. Igitur et sine gratia potest recte agere. Consequens falsum, quia secundum Anselmum De libero arbitrio capitlo 13. Voluntas non vult recte nisi quia recta est nam voluntas non est recta, quia recte vult, sed ideo vult quia recta est, sed non habet rectitudinem sine gratia. Et consequentia patet, quia actus diligendi Deum super omnia cum sit conformis recte rationi rectus est immo in tantum rectus quod eius oppositum semper est obliquum.

Respondeo: ad primum concedo breviter quod quis secundum legem datam sine gratia potest omnia precepta legis observare et hoc quantum ad substantiam preceptorum licet non quantum ad intensionem precipientis et secundum omnes condiciones requisitas ad impletionem meritoriam legis et preceptorum, quia ut dictum est in precedenti quaestione nullus actus est meritorius nisi sit factus cum circumstantia caritatis et cum inclinatione caritatis ad illum actum. Ad dictum Christi, dico quod intelligit de illo qui facit precepta et legem secundum intensionem precipientis.

Ad secundum dico breviter quod in peccato mortali quis secundum legem Dei datam potest Deum diligere super omnia. Ad probationem quia tali actu ille frueretur Deo qui actus non potest esse nisi rectus concedo quod talis frueretur Deo accipiendo frui pro diligere Deum propter se. Et quod talis haberet actum rectum non quidem rectitudine gratuita, sed rectitudine naturali ver morali, quia tali actus esset secundum dictamen recte rationis.

Ad tertium dico similiter quod viator rectitudine morali potest recte agere sine gratia sed non re- (41rb) ctitudine gratuita. Ad Anselmum dico quod loquitur de rectitudine gratuita, quod non potest quis recte agere sine gratia.

Secunda conclusio est quod Adam in statu innocentie sine infussa caritate Deum super omnia potuit diligere. Probatur tripliciter.

Primo sic: Adam in statu innocentie sine gratia potuit quodlibet peccatum vitare, igitur et Deum super omnia diligere. Antecedens patet per Magistrum libro 2 distinctione 24 qui ait quod homini in creatione datum est auxilium et potentia per quam stare poterat id est non declinare ab eo quod acceperat. Et consequentia patet, uia si in illo statu non potuisset Deum diligere super omnia necessario dilexisset Deum vel equaliter cum omnibus aliis creaturis vel infra alias creaturas quorum quodlibet necessario est peccatum.

Secundo sic: Adam in statu innocentie Deum potuit diligere quod patet quam natura corrupta etiam sine gratia homo aliquali dilectione Deum potest diligere. Igitur multo fortius in statu nature integre Deum potuit diligere. Tunc sic. Aut illa dilectio qua Deum potuit diligere fuit usus aut fructio. Si fructio, igitur dilexit Deum propter se, Igitur dilexit Deum super omnia, et habetur propositum. Si usus, ita quod non potuit esse fructio. Igitur necessario peccavit, quod est falsum, quia iam non fuisset in statu innocentie.

Tertio sic: Adam in statu innocentie habuit aliquod preceptum quod tenebatur velle observare. Patet, quia fuit sibi datum preceptum ne de ligno scientie boni et mali comederet. Tunc quaero: aut tenebatur illud preceptum primo et principaliter velle servare propter Deum, aut propter aliquid aliud. Si propter Dei honorem, igitur tenebatur primo velle Dei honorem quam aliquid aliud a Deo magis diligere quam ipsum Deum, quod repugnat dictamini recte rationis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic Adam in statu innocentie sine gratia potest Deum diligere super omnia. Igitur et mereri vitam eternam consequens falsum et contra Magistrum libro 2 distinctione 29 et consequentia probatur per Anselmum, Monologion capitulo 76, ubi dicit quid igitur summa bonitas retribuere amanti et desideranti nisi seipsam nam quicquid aliud tribuit non retribuit, quia non compensatur amori nec consolatur amantem nec faciat desiderantem.

Ex hoc sequitur quod si se amanti scilicet super omnia ipsa summa bonitas sit retribuenda tamquam premium pro merito quod sic amans meretur beatitudinem, nec potest dici quod sic amans meretur habere bonitatem illam aliter quam beatifice quia si copu- (41va) lari potest alio modo quam beatifice et sic et alio modo potest esse premium contra Anselmum ibidem capitulo 69 dicentem absurdum est ut aliqua natura semper amando ipsum qui bonus est et omnipotens semper misere vivat, sed sine beatitudine semper misere viveret, igitur talis amans ut dictum est meretur beatitudinem.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod ex puris naturalibus quis posset Deum diligere super omnia. Consequens falsum, quia talis actus tunc non esset laudabilis, quia illa que in nobis a natura insunt nec laudabilia nec vituperabilia sunt, secundum philosophum primo Ethicorum capitulo 16. Sed patet consequentia, quia si hoc potuit Adam sine gratia collata illud posse erat sibi naturale, igitur et actus per tale posse productus erat naturalis.

Tertio sic: Adam in tali statu potuit Deum super omnia diligere sine caritate, igitur potuit habere caritatem sine caritate. Consequens falsum et implicat. Et consequentia patet, quia caritas et dilectio idem sunt quod patet, quia amor et caritas idem sunt. Unde Magister, libro primo distinctione 10 dicit indifferenter spiritum sanctum esse amorem sive caritatem, sed amor et dilectio sunt idem ut patet per Augustinum 14 De trinitate, capitulo 7.

Respondeo: ad primum nego consequentiam. Ad Anselmum dico quod dilectio Dei super omnia est duplex, vel dupliciter potest intelligi. Uno modo ut precise dilectio Dei est, et sic non intelligit Anselmum, quia, ut dictum est, secundum Magistrum etiam scismaticus potest Deum isto modo super omnia diligere mortem pro ipso substinendo et certum est quod talis non meretur vitam eternam. Alio modo accipitur talis Dei dilectio ut includit omnes circumstantias ad meritoriam dilectionem requisitas et de tali dilectione loquitur Anselmum et talem nullus potest habere sine gratia, ut dictum est in solutione argumentorum precedentis conclusionis.

Ad secundum concesso quod ex puris naturalibus potest quis Deum diligere super omnia. Dico ad probationem quod aliquid dicitur naturale duobus modis. Unomodo ut distinguitur contra voluntarium, et sic intelligit Philosophus. Unde quod homo nascatur cecus hoc appellatur quod habeat a natura quia non voluntate propria. Et isto modo talis dilectio non est naturalis. Alio modo dicitur naturale quia cum influenza Dei generali precise est pro- (41vb) ductum a potentia nature indita, et sic omne quod sit a natura sine speciali Dei gratia dicitur naturale. Et isto modo actus etiam voluntatis elicited sine gratia dicitur naturalis et sic talis dilectio Dei super omnia esset naturalis. et tamen laudabilis et isto modo naturale non intelligit Philosophus. Unde existens in peccato mortali et dans elemosynam proximo ex pietate naturali adhuc agit virtualiter saltem moraliter.

Ad tertium dico quod amor accipitur dupliciter, scilicet pro amore gratuito et sic idem est quod caritas et sic talis dilectio non esset amor. Alio modo magis communiter, scilicet etiam pro amore naturali. Accipiendo naturale secundo modo statim exposito et sic non omnis amor est caritas et isto modo talis dilectio diceretur amor.

Tertia conclusio est quod stante data dei lege potest quis sine infusa caritate multa Dei precepta adimplere, non tamen meritorie, nec ad intentionem precipientis. Probatur tripliciter

Primo sic: stante data lege potest quis sine caritate implere multa precepta prelati sui et regule sue, igitur conclusio vera. Patet consequentia, Quia omnia precepta prelatorum et ecclesie sunt precepta Dei iuxta dictum salvatoris omnibus prelati dicentis *qui nos audis me audit* etc Luce, 10. Et patet antecedens, uia religiosus in peccato mortali existens potest ieiunare, abstinere a carnibus, a fornicatione, observare silentium et dicere horas suas que omnia sint precepta regule et prelatorum ecclesie.

Secundo sic: existens sine gratia secundum legem Dei datam potest non furari non moecchari, non occidere igitur patet consequentia. Quia omnia illa sunt Dei precepta, ut habetur Exodi 20 et antecedens patet per experientiam.

Tertio sic: quia existens sine gratia potest honorare parentes, et diligere Deum super omnia igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: nullus faciendo illicitum implet Dei preceptum, sed diligens Deum et non ex caritate vel abstinens a furto sine caritate, et sic dicit omnibus aliis sicut caritate actis facit illicitum, igitur maior patet, quia alias Dei preceptum esset illicitum et minor probatur. Quia vel licet aliquid facere extra caritatem, vel non. Si non habeo propositum. Si sic, contra. Iste agit aliquid extra caritatem, igitur est extra caritatem consequentia op- (42ra) tima, sed antecedens per te est licitum, igitur et consequens. Et sic esset licitum esse extra caritatem, quod est falsum. Et confirmatur, quia faciens quod tenetur non facere peccat. Igitur taliter faciens qualiter tenetur non facere peccat. Sed abstinens a furto extra caritatem facit taliter qualiter tenetur non facere. Igitur peccat.

Secundo sic: aliquis sine caritate stante data lege potest implere precepta. Igitur et sine caritate potest mereri vitam eternam consequentia nota ex verbis Christi Mathaei 19 dicentis. Si vis ad vitam ingredi conserva mandata, et falsitas consequentis patet per Apostolum 1 Corinthios, 13 *si linguis hominum loquar etc.*

Tertio sic: quia dicere quod quis possit sine gratia implere divina precepta expresse est error pelagii condemnatus libro 2 distinctione 28. Item De consecratione, distinctione 4, capitulo 'tunc'. Item hoc est expresse contra Glossam Augustini Super epistolam Ad galatas, capitulo ultimo, super illo verbo *neque qui circumciduntur legem custodiunt*. Ait Glossa custodire legem, ait apostolus non occidere, non moechari et alia huiusmodi ab bonis mores pertinentia que sine caritate et fide et spe impleri non possunt. Igitur sequitur quod sine caritate non potest quis talia precepta observare.

Respondeo ad primum: dico quod nullus faciendo illicitum per illud facere illicitum implet preceptum sed bene potest implere preceptum faciendo licitum aliqua circumstantia illicita licet non meritorie. Unde dico quod existenti extra caritatem est licitum Deum diligere abstinere a furto licet circumstantia illa non sit licita. Et quando probatur quod talia non sunt licita quia tunc sequeretur quod esse extra caritatem esset licitum, dico quod licet bene sequatur abstinere a furto extra caritatem. Igitur est extra caritatem. Non tamen postea sequitur. Antecedens est licitum. Igitur et consequens sicut non sequitur 'Petrus qui est extra gratiam tenetur se ad Deum convertere, igitur Petrus tenetur esse extra gratiam'. Cum tamen sequatur 'Petrus qui est extra gratiam tenetur se ad Deum convertere, igitur Petrus est extra gratiam'. Et ratio est quia in antecedente li 'tenetur' non determinabat li 'esse' extra gratiam sed li 'convertere'. Sic cum dicitur abstinere a furto extra gratiam est licitum li 'licitum' determinat li 'abstinere' a furto et non li 'esse' extra gratiam etc. Et ideo quantum ad hoc po- (42rb) test poni generalis regula. Quod quandocumque in aliquo antecedente copulato ponitur aliqua dictio determinativa unius partis precise illius antecedentis quod ab illo antecedente copulato ad alteram sui partem precise non determinatam per illam dictionem cum tali dictione in antecedente posita non valet consequentia. Sicut hic 'Socrates est currens velociter igitur, Socrates est velociter', sic non sequitur hic 'abstinere a furto extra gratiam est licitum, igitur esse extra gratiam est licitum'.

Ad confirmationem negatur consequentia quia mutatur quid in quale. Ad secundum dico quod verbum Christi si vis ad vitam eternam ingredi conserva mandata debet intelligi de observatione preceptorum cum omnibus circumstantiis requisitis ad meritum et quoad intentionem precipientis quod non sic est in proposito, quia non pono quod talis sine caritate precepta possit observare quoad intentionem precipientis et quoad omnes circumstantias requisitas ad meritum, sed solum quoad illud quod precipitur.

Ad tertium dico quod error Pelagii erat quod quis sine caritate poterat precepta implere quoad intentionem precipientis et meritorie quod ego non pono, et similiter dicendum ad Glossam Augustini que statim additur in tertio argumento.

Ad argumentum principale in oppositum. Cum dicitur quod aliquem diligere Deum super omnia implicat contradictionem, dico quod aliquem Deum diligere super omnia potest intelligi dupliciter. Uno modo exclusive ita quod Deus non sit de numero omnium, et sic non est verum, alio modo inclusive sic quod Deus includatur in numero omnium et tunc sic intelligitur. Deus diligitur super omnia supple alia a se et isto modo intelligendo non implicat nec ad hoc sequitur aliqua contradictio.